



Machabeorum .i.

460

hæc ad insidias sanctificationi et in diabolum malum israel. Et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis: et contaminauerunt sanctificationem. Et fugerunt habitatores hierusalem: propter eos: et facta est habitatio exterorum: et facta est cetera semini suo: et nati eius reliquerunt eam. Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo: dies festi eius conuersi sunt in luctum: sabbata eius in opprobrium honores eius in nihilum. Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius: et sublimitas eius conuersa est in luctum. Et scripsit rex antiochus omni regno suo: ut esset omnis populus unus. Et reliquerunt uniuersique leges suam: et conseruerunt omnes gentes secundum verbum regis antiochi. Et multi ex israel deseruerunt ei: et sacrificauerunt idolis: et coinquinauerunt sabbatum. Et misit rex antiochus libros per manus nuntiorum in hierusalem: et in omnes ciuitates iude ut persequerentur leges gentium terre: et prohiberent holocausta et sacrificia et placationes fieri in templo dei et prohiberent celebrari sabbatum et dies solennes. Et iussit coinquinari sancta et sanctum populum israel. Et iussit edificari aras et templa: et idola: et immolari carnes suillas et pecora communia: et relinquere filios suos incircumcisos et coinquinari animas eorum in omnibus immundicijs et abominationibus: ita ut obliuiscerentur legem et imutarent omnes iustificationes dei. Et quicumque non fecissent secundum verbum regis antiochi morerentur. Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo: et preposuit principes populo qui hæc fieri cogerent. Et iusserunt ciuitatibus iude sacrificare. Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerant legem domini: et fecerunt mala super terram: et effugauerunt populum israel in abditijs et in absconditis fugitiuorum locis. Die quinta deci-

ma mensis casleu quinto et quadragesimo et centesimo anno edificauit rex antiochus abominandum idolum desolationis super altare dei: et per uniuersas ciuitates iude in circuitu edificauerunt aras: et ante ianuas domorum et in plateis incendebant thura et sacrificabant. Et libros legis dei combusserunt igni sciendentes eos: et apud quicumque inueniebant libri testamenti domini: et quicumque obseruabat legem domini: secundum edictum regis trucidabant eum. In virtute sua faciebant hæc populo israel qui inueniebatur in omni mense in ciuitatibus. Et quinta et vicesima die mensis sacrificabant super aram que erat contra altare: et mulieres que circumcidebant filios suos trucidabantur secundum iussum regis antiochi. Et suspendebant pueros a cervicibus per uniuersas domos eorum et eos qui circumciderant illos trucidabant. Et multi de populo israel diffinuerunt apud se: ut non manducarent imunda et elegerunt magis mori quam cibis coinquinari mundis: et noluerunt infringere legem dei sanctam: et trucidati sunt. Et facta est ita magna super populum israel valde.

In diebus illis surrexit matathias filius iohannis filij symeonis sacerdos ex filijs ioarim ab hierusalem: et cõsedit in monte modin. Et habebat filios quinque: iohannan qui cognominabatur gaddis: et simonem qui cognominabatur thasi: et iudam qui vocabatur machabeus et eleazarum qui cognominabatur abaron: et ionathan qui cognominabatur apphus. Hi viderunt mala que fiebant in populo iuda et in hierusalem. Et dixit matathias. Ne mihi: Ut quid natus sum videre contritionem populi mei et contritionem ciuitatis sancte: et sedere illic cum datur in manibus inimicorum. Sancta in manu extraneorum facta sunt templum eius sicut homo ignobilis. Quia gloria eius captiua abducta sunt: truci-

4